



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1656**

§. 164. Rursus autem cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus: quia hic ex illis est. v. 69.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

Crucis tuæ diuinum curari mysterium. Quod si, ò æterna sapientia, natura humana in prima sua dignitate posita secumque manens stabilis persevere non potuit, sed lapsa est quanto minus iam corruptus homo & virtutus, quis non poterit viribus super se, cum Petro vel stare vel attollere, nec poterit quidem absque ingenti misericordia tua ad primam reparari innocentiam suam, sed erit tanquam abortinum à matre sua, perenni cum dolore proiectum. Tu igitur Saluator, Erige vires meas omnes per amorem, ut te Deum Creatorem ac Salvatorem meum toto corde diligam, tandem gratias agam & honorem, nec ulla cesset creatura benedicere & magnificare nomen sanctum tuum in sempiternum.

§. 164. Rursus autem cum vidisset illum ancilla, caput dicere circumstantibus: quia hic ex illis est. v. 69.

An S. Petrus, qui post negationem primam ab atrio infortunato recesserat, reuersus sit in atrium, & sic eum viderit ancilla, & dixerit ista verba non satis ex hoc textu discerno. Sed neque an fuerit alia ancilla, an eadem, quæ priorem fecit agressionem. Quicquid horum sit, siue eadem siue diversa fuerit, siue in atrio siue extra atrium sit aggressa Petrum, satis apparet Domum Caiphæ satis fuisse indisciplinatam, in qua essent ancillæ tam garrulæ, tam vagæ, tam rerum ad se non pertinentium curiosæ. Non acquisierant illæ tales habitus & frontem isto die, sed vsu prolixiore attruerant frontem.

**D**eus mens, ab otiosis, garrulis, inquietis & curiosis famulis libera seruos tuos, maxime heros & heras, & Prælatos. Virga, onus & pabulum asino: seruis disciplina, occupatio & necessitatis cibus. Si molliter educaueris hoc genus hominum contumax erit. Optimum remedium indisciplinae familie est diuortium, quod ancillis Caiphæ pridem oportuerat esse oblatum. Sed similes habent labra lactucas.

§. 165. At ille iterum negauit. v. 70.

Ecce quomodo se mei admisso in animum peccato maxime mortali, pronissime additur secundum & plura. Et qui non fugit primam peccandi occasionem, alteram inueniat. Meliorum Petro tibi Christiane fortunam noli fingere. statim pœnitamus de peccato commisso & redeamus cum Deo in gratiam, si periculum, ne cadamus, evadere festinamus. Dato enim uno absurdo dantur mille: Horum autem periculorum magnitudinem norunt soli spirituales viri, qui penetrant infirmitatem naturæ, in statu lapso, & norunt multiformes insidias Diaboli, & sciunt quantum malum